

VI. REGNI

(Chichester).

Accedunt Bignor, Dentworth.

Πάλιν τοῖς μὲν Ἀτρεβατίοις καὶ τοῖς Καντίοις ὑπόκεινται Ῥήγνοι καὶ πόλις Νοϊόμαγος Ptolemaeus refert (2, 3, 28); a Regno (sic codices plerique, a Regnum Monacensis ex vetere Spirensi descriptus) Londinio itinerarium Antonini (p. 477, 10) viam designat m. p. XCVI, ut supra dixi (cap. III), per mansiones Clausentum, Ventam Belgarum, Callevam, Pontes; apud Ravennatem (5, 31) inter nominum insanabili barbarie corruptorum multitudinem huc aliquo modo quadrare certum est haec (p. 426, 8—14 P.) Noviomagno, Onna, Venta Velgarom, Armis, Ardaoneon, Navimago, Regentium; Peutingeriana vero ea iam Britanniae parte caret. Haec considerans sano omnino iudicio, uti solebat, usus Horsleius (p. 440) primus, quanquam non ignorabat itinerarii Antoniniani mensuras non omni ex parte convenire, in Chichester hodierno oppidum vetus collocavit, in quo via illa a Londinio directa terminabatur. Ad situm enim eius in universum aptum accedit ipsa oppidi forma quadrata, muri hodie quoque in Romanorum certe fundamentis collocati, item viae duae principales decumano et cardini respondententes, parietinae Romanae, pavimenta tessellata, aliae antiquitates (velut caput statuae, cf. Archaeologia 26, 1838 p. 466) in ipsius oppidi hodierni area repertae frequenter, denique tituli item ex eadem provenientes non multi quidem, sed ex parte sane memorabiles, quos hoc capite composui. In eo fortasse erravit vir prudentissimus, quod Regnum nomen fuisse credidit oppidi. Vix enim videtur credi posse vocabulo hoc Latino dictam fuisse aut civitatem olim barbaram aut praesidium Romanum; Ptolemaeo duce potius credemus Regnorum (vel Regnum) eam fuisse civitatem (unde ille gentis et civitatis nomina non distinxit), quod fortasse etiam Ravennatis forma quamvis corrupta Regentium indicat, in itinerario autem aut errore scriptum esse a Regno Londinio pro a Regnis Londinio aut obtinuisse formam hanc aevo posteriore. Celticam autem nominis originem tam gentis nomen quam oppidi cognominis in Raetia Regni memoria videntur indicare; ibidem redit Sorbiodunum alterum. Castrum olim militare fuisse oppidum forma ipsa, ut dixi, docet; tamen nec tituli proprie militares ibi inventi sunt, nec tegulae. Sed indicant tituli, qui paene omnes esse videntur aut saeculi primi aut secundi ineuntis, ea certe aetate oppidum fuisse non exiguum. Notandum praeterea eorum plurimos repertos esse iuxta eum situm, ubi in castris praetoria esse solebant, scilicet prope quadrivium, quod quattuor viae principales efficiunt.

Praeter Rogerium GALE, HORSLEIUM, STUKELEIUM, Ricardum GOUGH (qui titulum n. 12 solus servavit) aut de Sussex comitatu aut de Chichester oppido consulendi erant:

1. Alex. HAY (*the history of Chichester, interspersed with various notes and observations on the early and present state of the city* cet. Chichester 1804 8.), qui tituli n. 11 solius meminit.

2. Iac. DALLAWAY (*a history of the western division of . . . Sussex*. Lond. 1815 2 voll. 4.), qui titulos paucos rettulit (n. 11. 14), sed plene et accurate egit de reliquis vitae Romanae vestigiis per totam regionem dispersis.

3. Iac. ROUSE (*beauties and antiquities of . . . Sussex* cet. Lond. 1820 2 voll. 8., ed. II. ibid. 1827 8., qua utor), qui item duos tantum titulos exhibet (n. 11. 12).

4. Ric. DALLY (*the Chichester guide* cet. Chichester 1831 8.). Insunt tituli quattuor (n. 10. 11. 12. 13), sed sumpti ex aliis libris.

5. Thom. Walker HORSFIELD (*the history, antiquities and topography of . . . Sussex*. Lewes 1835 2 voll. 4.) titulos item quattuor refert, quos modo dixi.

6. *Sussex archaeological collections, illustrating the history and antiquities of the county, published by the Sussex archaeological society*. Lond. 1848—1853 6 voll. 8. Titulorum inscriptorum praeter patellarum nihil inveni; sed insunt de antiquitatibus variis quaedam non inutilia (cf. *assoc. journ.* 3, 1848 p. 364 ss. et C. R. Smith collect. ant. 1, 1848 p. 92. 123).

7. *Report of the transactions of the archaeological institute . . . , Chichester Meeting 1853; catalogue of the temporary museum* cet. Lond. 1856 8.

Variis praeterea eius comitatus locis antiquitates Romanae prodierunt (cf. in universum Th. Wright *wanderings* p. 137 ss.), veluti in Lewes (de quo oppido commentati sunt T. W. Horsfield *the history and antiquities of Lewes and its vicinity*. Lewes 1824—27 2 voll. 4.; et M. A. Lower *a handbook to Lewes in Sussex*. Lond. 1845 8.; cf. *archaeol. journ.* 5, 1848 p. 323 et *assoc. journ.* 2, 1847 p. 127. 290. 292), in Pevensey (A. Hussey *on the city of Anderida or Andredesceaster* in *archaeol. journ.* 4, 1847 p. 203 ss. et 5, 1848 p. 229; cf. *archaeol. instit. Chichester meeting* p. 42), et alibi (v. *Archaeologia* 21, 1827 p. 546; 29, 1842 p. 372; 31, 1846 p. 312). Inprimis memorabilia sunt pavimenta tessellata splendida, quae pugnas gladiatorum alia exhibent, reperta annis 1811—1815 ad Bignor (n. 16) et edita a Samuele Lysons (reliquiae Romanae pars III; cf. *Archaeologia* 18, 1815 p. 203; adde 19, 1821 p. 176). Etiam Winchelsea oppidi maritimi muri et portae possunt esse originis Romanae (cf. W. D. Cooper *the history of the town of Winchelsea, one of the ancient towns added to the cinque ports*. Lond. 1850 8.). Ipse in Chichester fui a. 1867 ibique descripsi titulos qui supersunt.

Per totum Surrey comitatum tituli inventi sunt nulli (nam falsus est n. 1*), quanquam hic quoque reliqua vitae Romanae vestigia ab iis qui de eo commentati sunt non raro memorantur (cf. Goughs *Camden* 1 p. 249; *Archaeologia* 23, 1831 p. 398 ss. 32, 1847 p. 403. 450; *archaeol. journ.* 5, 1848 p. 325; *proceed. of the soc. of antiq.* ser. II 1, 1861 p. 310).

10 Chichester, rep. a. 1823 under the front-pavement of the house adjoining the little anchor inn, near the cross, North street (ROUSE). Oblata est duci de Richmond qui servat in Goodwood iuxta n. 11. Ara alta p. 3 dig. 6, lata p. 1 dig. 6; litterae sunt bonae saeculi fere primi exeuntis.

GENIOVS
LVCVLLVS
AMMINI·FIL·
D·S·P

Genio s(acrum). Lucullus Ammini fil(ius) d(e) [s(uo)] p(osuit)

Descripsi. Férussac *bulletin* 1824 I p. 113 nescio unde (inde Orell. 1680); Rouse *Sussex* ed. II p. 345; Horsfield *Sussex* 1 p. 43; King *Archaeologia* 26, 1838 p. 466.

3 AMIANI Férussac male. 4 in medio versu foramen est, in quo s littera periit. Hoc non observaverunt reliqui.